



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pauli Segneri Societatis Jesu Brevis Vitæ Historia
cum ejusdem Concordia Quietis & Laboris in Oratione,
Expositione in Psalmum Miserere, Considerationibus de
Inferno, Expositione Cantici ...**

Massei, Giuseppe

AUGUSTÆ Vindel. & DILINGÆ, 1707

VD18 12383155

§. X. Ratio quam in sacris Excursionibus tenebat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47773](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-47773)

§. X.

Ratio quam in sacris Excursionibus tenebat.

Hanc autem in Sacris his Expeditionibus rarionem Pa-
ter tenebat, sibi propriam, & quam postea plures de
Societate sunt imitati. Cum extra civitates in op-
pidis aut pagis instituebatur Missio, eum commorationi
suæ deligebat locum, ad quem aliis vicinis è villis & Paro-
chiis commodè accedere inquilini, & eorum, quæ ex sa-
cris illis functionibus redundabant, emolumentorum par-
ticipes esse possent. Hunc autem ad locum plerumque se
conferebat versus vesperum diei ante destinatæ, ibique
moram trahebat per sex, octo, aut decem dies, ut plus mi-
nusue temporis res poscebant. Præbebat autem his occa-
sionibus se spectandum, indutum brevi & malè farta tunica,
cum baculo viatorio in manu, sacerdotalium precium libro
sub axilla, parvulo Christi in crucem suffixi sigillo ad pe-
ctus, B. Virginis Rosario, quod dicimus, ex cingulo pen-
dente. Ante omnia incedebat pedibus ac tibiis planè nu-
dis, more constantissimo, quem mox ab egressuè Collegiis
ad suum, post menses aliquot in Expeditionibus positos,
reditum lege perpetuâ retinebat. Neque hæc, quæ nudi-
pes obibat, itinera paucorum passuum, & non magnæ mo-
lestiae videri debent; cum P. Joannes Petrus Pinamontius,
perpetuus ejus & individuus in hisce expeditionibus comes
asserat, facto diligenti horum itinerum examine, & calcu-
lo inito, videri sibi, si in censum veniant tam locorum in-
tervalla, è quorum aliis in alia migrabat, cum variis & mul-
tis solenni ritu obiri solitis supplicationibus, P. Paulum
quotannis quadringenta saltem passuum millia confecisse:
& tamen crebrò incedendum fuit viis alpestribus, stratis

C

acuto

acuto silice , aut saxis asperis , coopertis multa nive & glacie , ut præsertim illi accidit cùm ex Hetruria in Longobardiam , profectus est ; ubi quadraginta & amplius milliarium iter per nives & glaciem ita nudipedi conficiendum fuit . Nec semel accidit , ut in spinas indueret pedem , non absque cruento , & sensu doloris tam acri , ut velut febrili frigore agitatus contremiseret , ut testis est ille quem dixi , comes individuus . Et verò liquidâ voluptate perfundebantur , qui cunque aspiciebant virum incommodis his tam malè habitu , hilarem tamen semper ac serenum , sic ut in intuentibus teneros , & suavissimos pietatus sensus excitaret .

§. XI.

Prosecutio ejusdem argumenti.

ITa delatus ad destinatam Missioni sedem P. Paulus , ob vios habebat cum loci sacro Cutione , certis Sodalitatibus adscriptos cum solenni suo apparatu , & Populum frequentissimum . Desiderabat , ut quanta maxima esset sic excipientium multitudo ; cùm diceret , id honoris sacræ illi Expeditioni exhiberi : unde tanto hanc frequentiam studio procurabat , quantô repudiabat , & abhorrebat omnne affectantium agmen , cùm Expeditione finita abibat alio , propterea quod id honoris ipsi Missionario exhiberi assereret . Populus , qui ad eum excipiendum confluxerat , utrumque viæ latus occupans , mox atque ille in oculos incurrebat , humi provolutus in genua , magnis vocibus & junctis manibus poscebat , ut bene ipsi precaretur . Ille hoc spectaculo in DEUM absorptus , vultu qui tantum amoris , quantum majestatis spirabat , & ipse procumbens in genua , Cruci affixi Servatoris simulacro è manibus Parochi , &

non-